



3684  
III. Mag. St. Dr. P

Nov. 2621

Tarczowski Joannis: Sol in curis Bethlehemensis  
oratio Christianus Deus noster lyrics concentu  
celebratus.


POËT

N

Biblioteka Jagiellońska



stdr0004537



S O L  
In Cunis Bethleemiticis Ortus  
**C H R I S T U S**

DEVS NOSTER.

Lyrico Concentu Celebratus.

A C

*ILLUSTRI & MAGNIFICO DOMINO,*

**D. VESPASIANO**

*à KOCHOW*

**KOCHOWSKI,**

S. R. M.

**C V B I C V L A R I O ,**

Inclyti Sarmatici Regni celeberrimo  
**H I S T O R I O G R A P H O &c.**

In Strenam.

3684 IV

*IOANNE TARCZEWSKI,*

*In Alma Uniuersitate Crac: Artium & Phil: Baccalaureo.*

cum submissa Veneratione

& gratulatorio Applausu

**O B L A T V S .**

*ANNO QVO*

MVnDVs in eXortV SoLIs LætatVr; & VLtrā

Dissigunt Nubes; SOLE oriente D E O.

1686

*CRACOVIAE, TTRIS UNIVERSITATIS.*

In Gentilitium Insigne,  
Illustris & Magnifici Domini.

BIBLIOTHECA  
VNIV. IAGELL.  
GRACOVENSIS



Excubat inuigilans Arbor NIECZVIA vocata  
Contra Bisthonios Odrysiosq; lupos  
Insidas pellit, quas hostis struxerat atrox  
Ut Clypeo Patriam protegit illa suam,  
Non jacet hic TRVNCVS truncus velut euolat astra ad  
Quem Crucis in pennis magna trophya trahunt  
Gloria, fama decus NIECZVIÆ floret in Orbe  
Floreditq; diu KOCHOVIANA Domus.

ILLUSTRIS & MAGNIFICA DOMINATIONIS TRA,  
Obsequentissimus Filius  
HIERONYMVS KOCHOWSKI  
Grammatices Studiosus.

A D  
ILLVSTRE M<sup>E</sup>S MAGNIFICVM DOMINUM,  
Dñum Patronum ac Mecœnatem  
Amplissimum,  
AUTHORIS DEDICATORIA  
P R O P H A S I S.

**E**T si nulla me Mathematicarum disciplinarum commendet scientia, ego tamen Icaro ausu Principem Planetarum SOLEM Apollinis cythara decantatum, Tuis hodiè presentandum oculis esse duxi ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE. Fateor quidem prius me debuisse Diuina Mathesi sedulam consecrare operam, Eucli primâ saltem dicare labra, quam cum Astris in Tuum prodire lumen & Nomen: sed quoniam hic non de naturali sed Mysticō SOLE agendum venit, ideo non ad discurrendum sed applaudendum impolito progredi ingenio licebit. Quanquam vero cum & haëtonte alta peto, cum non sit mortale quod opto, nihilominus tamen ad exortum in Terris nouæ LVCIS, non quidquam aliud nisi LVCEM immò ipsum Authorem Lucis offerrēs Tibi tanto impar oneri libenter mea brachia suppono. Et meritò sane: quid enim aliud Tibi ILLISTRIS ac MAGNIFICE DOMINE inter hos festiuos Applausus, in munus cedere debet, quam SOL cuius beneficio ac principali causa & influxu Gentilitia Tua ARBOR adeò effloruit, adeò excreuit; ut nunquam decrescere possit. Triumphale CRUCIS signum virenti gloria decorat Illam, & non Dadaleis sed Aquilinis pennis ad excelsa honorum fastigia, alta dignitatum subelia prouocat euocatq; semper Tuo aquistro Stemmati immarcescibiles conueniunt Laurus, dum Tuum Nomen remotas it Rhodos, famaq; faustas perulat Insulas, occasumq; gloria & Eclypsim nunquam patietur, cuius præcara in Republica merita ac doctissimus CALAMUS ad æuternam memoriam vigebit. Loquetur sera posteritas inclyta semper de Te Elogia, & eximia Tua facta eruditissimumq;

pectus obstupescet. Obstupescit & præsens atas dum Te Virū omni laude dignū, quem musa vetat mori gloriae Panegyri celebrandum agnoscit. Experitur id Augusta Sarmatica AQUILA cum Te toties feruentem boni publici in Comitys CATIONEM, in bellico Martis certamine strenuum armis & consiliis ACHILLEM, in Casibus Patriæ iuuandis ATLANTEM veneratur. Verum si Memphis, si elinguem indueret Athym non iam officiosa Musa, ipsa Historialis gesta canens Clio copiosum in encomia Tua bibet stylum, ac immortali calamo augustum Nomen adorabit. Sed quid ego laudum Tuarum texo Panegyrim? cum earum magnitudo omnem absorbeat ac praripiatur apparatus, ad beneficam humanitatem Tuam calamum intendo, quam plenis experior aliis, perennesque haurio beneficentia latices, atq; omnem benevolentiam agnoscō. Spatum Anni iam elapsum ex quo me indignum ad Tua affectus penetralia suscepisti, in numerum Clientū adscripsisti, dum carissima Pignora fidei Institutioni credidisti. Quanquā hac sors mouit quorundam malevolentiam, inuidiōq; non caret dente, non mirum: cum Virtutis ac fortunæ Comites sint. Luior & Inuidia. Quare pro his ac alijs beneficijs enī Tibi ubiſ cano, cum tubis non possim, quandoquidem minoribus hostiis placant superos quibus non sufficit Hecatombe. Ergo hoc vile munus intra Tui benevoli animi admitte sinum, quod si displicet, certè offerentis animus & voluntas non erit ingratia; suscipe serena fronte & mente SOLEM hysico concentu celebratum, qui licet pusillus sit, cum hic decrevit Gigas, sed tamen magnitudinem suam non exuit etiā in Infante Gigas est à quo ut Magno quaq; opto maxima, augeat Tibi hoc clarissimum Sydus longanos & serenos Soles, augeat immortalē gloriam, que in Gentilitia Tua ARBORE virescat nō marcescat; cedant ad tanta Lucis exortum quavis animi nebula & ad renascentem SOLEM aurea Tibi semper recurrent ac renascantur secula. Ita voueo & precor sub Tuo patrocinio dies noctesq; ducere cupiens.

Jilistris & Magnificæ Dominationis Tux Honori ac Nomiini,

Deditissimus Cliens,  
JOANNES TARCEWSKI, AA. & Phil. Baccalaureus.

# S O L

## In Cunis Bethleemiticis

### O R T V S.



Ssurge latus Phæbe Pater faue  
Liræ canenti; Castaliæ Deæ.  
Gratum melos nunc exhibete,  
Dulcisonas cytharas mouete.

Vates Celebres Thespia Lumina  
Alcæus adsit, Pindarus, Ibicus,  
Sappho, Alæmon, Stesichorusq;  
Bacchylides Anacreon ipse.

Iam lata suavis vox geminet sonum,  
Iam summa cordis gaudia concitet,  
Fundatq; plausus nunc amænos,  
Nectareis recreata lymphis.

Orpheus Urbes altaq; mænia,  
Plectris sonoris muta animalia.  
Mulcens fauentes ad choreas,  
Iam properet modulando cantus.

Quæ dum loquor sic: Fons Aganippidum,  
Riuos aquarum mox aperit mihi,  
Phæbus, Camenæ lata dicunt,  
Verba citò acceleremus omnes.

Quidquid Pelasgi carmine Barbyti  
Quidquid per oras Ausonias sacri  
Lusere Vates; cedat istud  
In cytharas hodiè & corymbos.

B.

Auditur

Auditur & Thrax, si modulamina  
Traxisse dicit vocibus agmina  
Plausissē; multò plus libenter  
Illa sonent modò dulce carmen.

Cum totus Orbis nil nisi gaudia  
Fundit, recedunt omnia tristia,  
Affulgit enim iam SOL serenus

Iustitiae DEUS ipse SOL est.

Illi Polorum Seraphini canunt,  
Exultat omnis Spiritus, & gregem  
Pastor relinquit, tibiisque;

Dulce melos loquitur sonoris,  
Acanthis altas Huic Philomelaque;  
Alauda voces promit & obstrepet,  
SOLEM nouum cantu salutat

Mirifico recreando saltu.

Idola Memphis cum Statuīs ruunt  
Nascente nostro SOLE DEO, ferunt  
Fructus beatos, Vineæ dum

Ballama progenerant abundè.

Hæc orta LUX est lessiadum solo  
Dispersit atras lumine noctium  
Nubes, removit Protoplasti

Atque Pharum fidei locavit.

Tum vidi Orbis tres simul aurei  
Soles Olympi; qui citò in Unicum  
Solare corpus sunt redacti

Denotat hos coluisse SOLEM.

Qui cuncta terris lætificata qui  
Facturus esset, Cymmerias procūl  
Umbras; fugando lucidasque;

Omnibus instituisset horas.

Ilu-

620  
Illustrat hic Te VESPASIANE SOL  
Ortus Bethleem dotibus Inclitis

Illustrat, in Te Gratiarum

Fundit acumina multa rerum.

Quidquid decoro; nomine Gemmifer  
Nylusq; Ganges Paxtolus in se habet

Totum Tibi Lux orta donat

Vir meritis celebris KOCHOWSKI.

Tu mille fulges auctus honoribus,  
Es ipse splendor StemmatiS ARBORIS

Quæ floret & florebit alma,

Tempora Lechiadum coronans.

Quam sacra CRUX ad sydera prouocat,  
Quam penna Lechæi Alitis in clyti

Extollit altum cum stupore

Culmina celsa petens honorum.

Ornas avitum Stemma Tuum stylò  
Et Marte præstans HISTORIOGRAPHE,

Dum gesta Regum, bella Regni

Sarmatiæ calamo notasti.

REX Sarmatarum deliciæ suæ  
Gentis IOANNES TERTIUS, intimò

Complectitur Te corde, cernens

Mentis ebur niueum eruditæ,

Cui nuper extra Tu sociatus es  
Fines; Viennam Tu comitatus, ut

Spectare posses & notare

Quam celebres meruit triumphos.

Mereris omnes laudis adreas,  
Reges Duces, cum pectoribüs suis.

In Te feruntur; Regibusq;

Maxima laus placuisse summis.

Splen-

Splendore quanto quâ Sapientiâ  
Responsa præbes Comititia,  
Oris catenâ Tu salutem  
Scis publicam Patriæ iuuare.

Tu vincis omnes Hystoriographos  
Utroq; Diuini ingenij stylo,  
Terras per æquor Te sequuntur.  
Te Charites comitantur omnes.


Sæclis tot ergo fama Tux ARBORIS,  
Descendit in Te laus celeberrima  
Præclara maiorum trophæa,  
NIECUACÆ decus omne gentis.


Ortus Tibi SOL HISTORIOPRAPHE  
Regni; det annos fulgida tempora,  
Semper serenos fundat in Te  
Atq; Domum radios benignos.

Procul recedant nubila temporum  
Viuas beatus Nestoreos dies  
Necnon agas Soles amænos;  
Detineat libityna falcem.

Extincta nunquam sit Tua gloria,  
ARBOR vigendo prospera semina,  
Sortis, per æuum proferendo  
Cum CRUCE floreat atq; PENNIS.







Biblioteka Jagiellońska



stdr0004537

